

Rituum spectantes, quasi extra ordinem adjungantur Prælati alii, nimirum, Promotor Fidei, tres Seniores Auditores Rotæ, qui tanquam periti Canoniste in unum Assessorum gerere videntur, unus quoque ex Protonotariis participantibus. Adhibentur quoque alii Theologi, qui Consultores, vel respectivo Qualificatores dicuntur. Quin & pro Consilio adhiberi solent Medici & Philosophi, alique Professores, qui judicent, & operationes, quæ miraculæ adscribuntur, revera dici debeant supernaturalis, an vero provenire nequeant ab aliqua causa naturali. Postquam vero probationes mature in pluribus Congregationibus discussæ fuerunt, atque negotium Canonizationis jam præparatum est; tunc habetur Congregatio magis solemnitas coram ipso Summo Pontifice: qui, audito voto Congregationis, interponit quidem decretum super Beatificatione, aut concessione cultus particularis in aliqua Ecclesia, aut Ordine; sed Canonizationem, seu absolutam adscriptionem in Catalogum Sanctorum non decernit; sed hoc, examine peracto, in hac Solemni Congregatione coram Papa, aliud instituitur in pleno Consistorio secreto; ac denique habetur Consistorium solemnissimum, & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Curia præsentes sunt; quorum omnium etiam votum exquiritur per quamdam Concilii imaginem. In hoc Consistorio, præmissis præcibus, aliisque cæremoniis, quæ in Cæremoniali Romano Lib. 1. Sect. 9. late describuntur, instante Procuratore Cause, Pontifex, alta voce sedens cum Mitra, pronuntiat in hunc modum: *Ad honorem Sanctiæ individue Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholice, & Christiane Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus S., & Apostolorum Petri & Pauli, & nostræ de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse, & Sanctarum*

Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo hujusmodi adscribimus. De Canonizatione Sanctorum alibi fors dicemus. Præsentia ex Espenio, qui ea fumpsit ex Cardinali de Luca, huc attulisse sufficiat.

44. Negotia circa Beneficia Ecclesiastica, pensiones, dispensationes, impedimenta publica in Sacramentis Ordinis, & Matrimonii, ad Datarium Romanam hodie devolvuntur.

Officium Datarii, prout hodie accipitur in Curia Romana, antiquum dici haud posse probat Cardinalis de Luca in sæpius citata relatione Romanæ Curie disc. 9. Antiquitus enim (ait de Luca L. cit. N. 6.) Papa forte nihil, vel parum se ingerebat in illis negotiis, circa quæ pene totum Datarii munus hodie versatur: ut nempe sunt collationes Beneficiorum reservatorum, vel affectorum, nec non reservationes matrimoniales, aliæque dispensationes, puta, super natalibus, vel super irregularitate, aut super bigamia, vel super ætate, & similes; ac etiam sunt Apostolica Beneplacita super alienationibus bonorum Ecclesiæ, vel concessiones officiorum venalium, & similia: quæ omnia moderna sunt, distinctis antiquis temporibus incongrua. Hæc Cardinalis de Luca, qui ibidem N. 12. & 13. deducit, qua ratione circa sæculum XIV. introductæ sint reservationes Beneficiorum, de quibus nos Lib. 1. Tit. 6. N. 29. atque ex his originem suspulerint Pensionum Ecclesiasticarum reservationes. Cum itaque, pergit de Luca N. 14. hujusmodi provisiones non publice in Consistorio, sed privatim in Aula per supplices libellos, aut per supplicationes manu Papæ signatas fierent; casus autem præberet, quod idem Papa ex multiplicitate negotiorum non valens omnia memoria retinere, eadem Beneficia pluribus personis conferret: unde propterea continua oriebantur jurgia super temporis anterioritate, quæ etiam in Beneficialibus, atque in gratiarum concessionibus attendenda est, quod videlicet

gra-

gratia anterior posteriori præfertur: idcirco quandam privatum potius, seu fiduciarium Ministrum, tanquam per speciem Secretarii, ad id deputare congruum fuit, qui curam hujusmodi supplicationum, & expeditionum haberet, atque, postquam Papa per ejus signaturam gratiam perfecit, ipse adnotaret tempus, seu diem: ut ita dignosceretur, quænam essent gratiæ anteriores, & quæ posteriores; ac etiam (& fortius) ut ita convinci posset, an congruo tempore gratia petita, & respectivo concessa esset; eo quod absque verisimili noticia mortis Beneficia adhuc non vacantia, quando recens vacatio sperabatur, extorqueri solebant, ut etiam hodierna praxis quandoque docet. Idemque Minister, vel Officialis, qui hanc habeat curam, adnotandi videlicet datam temporis, tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat quoque munus Consiliarii, vel Auditoris Papæ ad effectum inspicendi; itemque consulendi, an ea vacatio caderet, nec ne sub ejus reservatione, ac provisione: seu, quomodo pro Beneficiorum qualitate provisio facienda esset; aut an Oratores, qui supplicationes porrigebant, essent digni, ac idonei, nec ne? Exinde propterea prodiit hoc Datarii nomen, seu vocabulum, non quidem à Verbo *dare*; quoniam non ipse, sed Papa dat Beneficia, aliaque gratias; sed ab alio barbaro, ac lingue Latine Professoribus ignoto vocabulo *datare*; quia scilicet adnotabat *datam*, quæ in Principum legibus, ac provisionibus, & gratis ab antiquo tempore adhiberi consuevit: ut docet tenor plurium Imperialium Constitutionum in Codice, ac etiam docent Apostolicæ Constitutiones, aliaque diplomata, etiam antiqua. Porro Datarii Officium, juxta modernum Curie Romanæ stylium, inter præcipua munia reputatur, adeo ut subinde etiam Cardinales ad id assumantur; ea tamen differentia, quod si Cardinalis sit, tunc non *Datarius*, sed *Prodatarius* dicatur. Forte, ait de Luca, quia non congruat exi-

Tom. I.

*miæ Cardinalitatis Dignitati assumere Officium inferius ac Prælatitium, quod ita provisionaliter, seu jure cuiusdam commendationis per Cardinalem administrari non congruat. Habet Dataria, præter Datarium, plures Officiales, & Adjuutores ex quibus duo majores alter *Subdaturius*, & alter per *obitum* dicitur. *Subdaturius*, proprie loquendo, est substitutus Datarii, nequaquam tamen à Datario dependens; sed à Papa immediate instituitur, & Prælati Curie annumeratur. Ipsi est revidere omnes libellos supplices, qui Papæ offerri postulantur, exceptis illis, qui sunt pro impetrandis Beneficiis per mortem in terris *obedientia*, qui revideri debent per Officialem, qui dicitur per *obitum*. Hæc Espenius cit. ex Cardinali de Luca, qui consulti possunt.*

45. Criminum quorundam ac Censurarum absolutiones, nec non votorum atque irregularitatum dispensationes, aliaque causæ, quæ pro foro externo ad Datarium spectant, pro foro interno in Pœnitentiaria pertractantur.

Romanum Pontificem secit & alios Episcopos sæculis XII. & XIII. suos jam habuisse Pœnitentiarios Generales, ad quos, tanquam ad ipsum Episcopum, pro absolutione gravium criminum recursum haberetur, & quos in perplexis atque difficultioribus casibus inferiores Confessarii consulerent, constat ex cap. 15. *de officio Ordinarii*. Cum vero labentibus sæculis plura in propositione allata ad Sædem Apostolicam essent devoluta, his vero examinandis & decidendis solus Pontifex esset insufficientis; omnia Pœnitentiario suo pene commisit, uti notat Cardinalis de Luca, tam in foro externo, quam interno; adeo ut pleraque negotia, quæ hodie per *Datarium* & *Secretariam Brevium* expediuntur, concederentur per organum Pœnitentiariæ. Verum cum tractu temporis plura continuo negotia ad Pœnitentiariam Apostolicam devolverentur; tandem necesse fuit, alios Officiales ei adjungere, qui

Ddd

qui

qui unum quasi cum ipso Pœnitentiario Tribunal constituit, quod *Pœnitentia* dicitur. Duravit hæc summa Pœnitentiarii auctoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno 1562. Bullam reformationis Pœnitentiarii Apostolicæ edidit, quæ incipit *In sublimi* 53. in Bullario Romano. In qua, postquam præfatus fuisset in Pœnitentiarii officio, in quo *morum Censura*, & *animarum salus præcipue vertitur*, plures & diversos abusus irrepsisse, per decretum suum reformationis plures facultates Pœnitentiario, ejusque Officialibus admittit. Ulterius progressus Pius V. novam plane formam ipsius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata, & abolita, induxit per Bullam, quæ incipit *In omnibus* 83. in B. R. Quæ ait: *Ipsum Pœnitentiarii Officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis magis convenerunt, exoneratum, atque expeditum, debinc ea, quæ animarum salutem præcipue concernunt, attentiori studio prosequatur*. In qua Bulla, diminuti negotiis, etiam Officiales & Ministros Pœnitentiariæ minuit. Voluitque paucis, probis, & peritis ea officia *gratis omnino*, & sine omni venalitate conferri. Primarius itaque Pœnitentiariæ Minister est *Major Pœnitentiarius*, præter quem in tribus Patriarchalibus Urbis Ecclesiis existunt *Pœnitentiarii minores*. Nimirum in Lateranensi ex Ordine minorum Observantium Reformatorum. In Vaticana Societatis JESU. In Liberiana, seu S. Mariæ Majoris Ordinis Prædicatorum, ad quos Major Pœnitentiarius mittere solet absolvendos, aut à voto vel impedimento relaxandos, qui in Curia præsentibus absolutionis aut relaxationis gratiam mereri judicantur. Qui virogis manu tenentes, ea Pœnitentes tangunt. Alia species Officialium est illorum, qui regunt Pœnitentiariam per quamdam speciem Tribunalis, audiendo scilicet supplicationes super petitis absolutionibus, & dispensationibus, præcipue absentium ab Urbe, pro quibus expediendæ sunt literæ in forma Quorum

prior est *Regens Pœnitentiariæ*, qui *vices Majoris Pœnitentiarii gerit*, & plures absolutiones, & dispensationes ipso inconsulto concedere solet. Quas, sicut & Pœnitentiarius signat per *tu fiat de speciali*, vel *fiat de expresso*, ad distinctionem Signaturæ Papæ, quæ sonat, *fiat ut petitur*. Secundus *Datarius*, qui in calce supplicationis scribit datam diei, mensis, & Pontificatus Papæ viventis. Adfuit præterea in hoc Tribunali, teste de Luca, tres Procuratores, seu Secretarii, qui per turnum inter se distribuunt libellos, qui porriguntur sine nomine sub aliquo signo, vel cifra, ut dignoscantur ab iis, qui negotia gerunt: nec non duo Consultores. Habet insuper hoc Tribunal suum Consultorem, qui, eodem teste, sigillum S. Pœnitentiariæ apud se retinet, & literas majoris Pœnitentiarii nomine expediendas *intus & extra*; Bullas vero tantum *intus* subscribit, post Correctorem. Qui Corrector supplicationes à Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cum necessitas exposcit, corrigit, & pro adimpleti sui muneris signo, notulam peculiarem imprimi in extremis supplicationum paginis; literas demum omnes in forma Brevis, ac Bullas secundum præscriptam supplicationis formam expediendas, & expeditas subscribit. Demum in hoc Tribunali sunt tres Scriptorum, qui Literas vel Brevia juxta formam supplicationis scribunt. Omnes hi Pœnitentiariæ Officiales juramento interposito promittunt, quod *Officium suum fideliter exercebunt, ejusque ratione nihil ab aliis quibus etiam sponte oblatum, vel donatum accipient, præterquam salarium sibi constitutum. Secreta Sacra Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac Personas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra Officium revelabunt*. Major Pœnitentiarius quolibet mense Officiales convocat ad casus occurrentes decidendos, teste Marco Leone cap. 2. N. 1. Interdum tamen, ut monet de Luca, ubi dabitur de potestate dispensandi, ipse, vel Regens

Papam adit. Negotia, quæ cum Brevis sive literis in forma Brevis expeditis in Pœnitentiaria explicantur, sunt dispensationes super occultis irregularitatibus ex causa homicidii, vel illegitimum natalium, aut alterius defectus: ac etiam revalidationes Matrimoniorum contractorum cum impedimento dirimente, sed plane occultis item revalidationes simoniacarum provisionum, modo simonia sit *occulta*; item absolutiones à Censuris, præsertim ab Excommunicatione ob percussione Clericis, hocque casu in hoc Tribunali conceditur absolutio, tametsi negotium sit *publicum*, atque Excommunicatio judicialiter declarata sit. Omniaque *gratis* omnino expediuntur.

46. Primaria & graviora Sedis Apostolicæ negotia, publica, & solemnia, qualia sunt Consistorialia, aliaque plurima, in hisce Tribunalibus complanata, per Cancellarium Romanam expediuntur.

Cancellaria, vox barbara, inquit Budeus ad Pandectas, usurpata est pro loco, ubi publicæ literæ à Scribis Principum, & Magistratum conficiuntur. Est itaque Cancellaria Romana locus, in quo publicæ literæ in variis Ecclesiæ Catholicæ, Christianorumque negotiis expediuntur. Primarius ejus Minister est *Vice-Cancellarius*, habens fixum Titulum Cardinalitium Ecclesiæ Collegiæ S. Laurentii in Damaso, atque commodam & amplam habitationem in insigni, vereque Regio Palatio, quod Cancellaria dicitur: in quo ipsa Cancellaria, tamquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliaque functiones publicæ peraguntur. Vocatur autem Vice-Cancellarius, non quasi *vices* alterius Cancellarii agat, sed secundum Cardinalem de Luca verosimiliter; quia est moderna Cardinalitii Dignitati non congruat officium inferioris, seu Prælatorum agere; congruum nihilominus videatur illud *provisionaliter*, seu Jure cuiusdam commendationis per Cardinalem administrari; quemadmodum

& in munere Datarii praxis docet. Per hujus ergo manus præfata in propositione negotia transeunt: adeo ut cum quadam proportione dicendus sit Cancellarius Papæ, eo modo, quo in singulis Diocesis quilibet Episcopus habet Notarium, & Cancellarium majorem, qui Acta Synodalia, & Judicialia, ac etiam Pontificalia confertur, & authentizat; uti notat Card. de Luca lib. cit. N. 5. Plures habet Vice-Cancellarius Officiales, quorum aliqui sunt majores Prælati, Prælaturam annexam habentes. Primarius est *Cancellarius Regens*. Cujus auctoritas describitur in ultima regula Cancellariæ. Impromissus ipse revidet Bullas expeditas & promulgatas, & si quis error irrepsit, eum corrigit, ac ad calcem Bullæ reformatæ manu sua scribit: *Correcta prout jacet*. Post hunc sequuntur Præfidentes de *majori vel minori Parco*, ita dicti à loco Cancellariæ, in quem conveniunt, qui vulgo *Parcus* dicitur. Hi de majori Parco nominantur etiam Abbreviatores, à conficiendis Literarum Apostolicarum breviorum, sive minutis; quas è signatura Cardinalis Vice-Cancellarii ejusdemque *Contra-Schedula* tamquam matrice conficiunt. Pro quo notandum, quod facta in Consistorio provisione per Pontificem de Ecclesia Cathedrali, Cardinalis Vice-Cancellarius accipiat Decretum Provisionis Papalis, illudque in libro materiarum consistorialium consignat sub hæc formula: *Roms apud S. Mariam majorem, die — Mensis — anno — fuit Consistorium*, in quo *Santissimus D. N. referente Cardinali N. providit Ecclesiæ N. per obitum N. Vacanti de Persona N. Post hæc Cardinalis proponens conficit Schedam, sive Schedulam, quæ dicitur *Schedula Consistorialis proponentis*, per quam significat Cardinali Vice-Cancellario, Pontificem in Consistorio providisse tali Personæ de Ecclesia Cathedrali; qua recepta, Vice-Cancellarius conficit aliam schedulam, quæ vocatur *Contra-Schedula*, in qua*

luminarie narrat, qualiter Pontifex in Consistorio provideret Ecclesie N. de Episcopo Pastore; eamque Schedulam Secretarii sui subscriptione, proprii Sigilli impressione, & manus suae subscriptione munit. Uterius Praelati de majori Parco quoddam quasi Tribunal constitunt, in quo, collegialiter convenientes, decidunt dubia, quae oriri contingit super literarum formula, vel clausulis, & decretis in eis adficiendis, ac etiam super emolumentorum solutionibus, aliisque contingentiis. Praelati de minori Parco, ait Petrus Galteus in sua praxi Curiae Rom. proprie sunt Officiales otiosi, exigua habentes jurisdictionem, in id unum intendentes, ut Bullae ferantur, & tradantur Praelatis de majori Parco. Facta minuta per Praelatum seu Abbreviatorem de majori Parco, qui est in turno, mittitur deinde ad alium Abbreviatorem, ut eam revidat; quae revisa traditur Scriptori Bullarum. Tum per Apostolicos Scriptores, ait de Luca, juxta eorum formulas efformantur literae, quae Bullae dicuntur, sub plumbo in ejusdem Vice-Cancellarii Aula, seu in Cancellaria; eodem modo, quo per ejusdem Cancellariae Scriptoris & Officiales aliae efformantur literae super Provisionibus aliorum Beneficiorum, nec non super Apostolicis dispensationibus, aliisque gratis & concessionibus, quae fiunt extra Consistorium per organum Datarii. Plures sunt Cancellariae Officiales, qui Bullis illius revidendis, transcribendis, plumbandis, registrandis, occupantur: quorum alii, inquit de Luca, vocantur Summittae, alii Secretarii, alii Plumbatores, alii Cubicularii & Scutiferi, alii Protonotarii, alii Subdiaconi, & alii sub diversis vocabulis nuncupantur. Hi omnes participant vel in annatis, vel in emolumentis, quae pro literarum expeditionibus solvuntur; atque Jura haec communiter dicuntur, *Taxa Cancellariae Apostolicae*. His modum imposuit Gregorius XV. per regulam Cancellariae incipientem, *Item idem D. N. exactioni-*

bus, &c. Quae Regulae, ait Ludovicus Gomefius in proemio ad Regulas Cancellariae q. 2. ab initio introductae fuerunt, ut Officiales Cancellariae per eas in literis expediendis instruerentur, ut patet, ait, ex Regulis Joannis XXII. (Seculo XIV.) & Benedicti ac aliorum. Et licet a tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa judicia additum fuerit; illud tamen respicit actum in Curia agendum. De Regulis Cancellariae egimus Lib. 1. Tit. 2. cap. 6. §. 2. Habet praeterea Cancellaria Romana Secretarium Brevium, per cujus organum expediuntur Literae Apostolicae, quae dicuntur in forma *brevis*. Quarum differentiam a Bullis Romanis dedimus L. mox cit. §. 1.

§. VI.

De Forma Judiciorum Ecclesiasticorum.

47. **F**orma Judiciorum Ecclesiasticorum primis Ecclesiae Saeculis nullis Civilis Juris formalitatibus instructa fuit; sed Causae per modum amicae arbitrati ad aequi bonique amussim componebantur.

Formam Judiciorum Ecclesiasticorum per V. priora saecula exhibent Constitutiones Apostolicae lib. 2. c. 47. quae etsi Apostolis tribui nequeant (Lib. 1. Tit. 2. c. 2. §. 2.); videntur tamen circa saeculum IV. collectae, utpote disciplinam illius aetatis graphice referentes. Illo itaque harum Constitutionum cap. praescribitur: ut *Judicio assistant Diaconi & Presbyteri, qui circa acceptionem Personarum tamquam homines Dei juste judicent*. Deinde additur: *Si inter duas Personas questio esset, utraque in judicium veniebat, atque auditis, ferebantur suffragia: ita tamen, ut prius omnem operam impenderent, ut Causa amicabiliter componeretur, & disceptantes ad concordiam revocarentur*. Verba sunt: *Cum igitur utraque Persona, sicut Lex jubet, in judicium venerit, ab-*

bit uterque disceptantium in medio Judicio: quibus auditis, ferte sancte & incorrupte suffragia, & date operam, ut antequam Episcopus pronuntiet, fiant amici, ne exeat Episcopi sententia super terram contra eum, qui deliquit; qui habet secum in Tribunali Christum Dei Filium Judicii comprobatores, & cognitores. Ex quibus habemus, Causas tunc summarie, utrimque parte audita, fuisse decidas; operamque praecipue impensam, quomodo partes ad concordiam adducerentur, omnisque disensionis & amaritudinis radix e cordibus Fidelium eradicaretur, atque ita veri inter se amici fierent. Si vero Causae, sive quaestiones majoris momenti incidere, Episcopus non tantum Presbyteros, Diaconos, & Clerum Civitatis Episcopalis (qui quasi ejus ordinarius Senatus constituebant), sed ex tota Dioecesi convocabat: quem Conventum hodie dicimus Synodum Dioecesanam. In hoc autem Conventu Episcopus notabiliores quaestiones & difficultates proponebat, & una cum Clero suo discutebat, ac de eorum consilio decidebat. In hunc finem ex praescripto Concilii Niceni, aliorumque, quottannis cogebantur Concilia Provincialia, ut supra N. 30. vidimus. Hanc Judiciorum formam Ecclesia Catholica ab ipso Apostolo didicit, qui vel nullas lites inter Christianos haberi voluit, vel ortas a sapiente per modum amicae arbitrati componi (N. 16. h. T.); sapitque sinceram mentem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui pacem & charitatem discipulis suis tantopere inculcavit, & contentendi de tunica pallium insuper relinqui jussit Matth. 5.

48. Haec Judiciorum Ecclesiasticorum simplex & plana forma circiter per X. Saecula inconcussa permansit, atque toto illo tempore ipse forensis itrepitus a Judiciis illis exulavit.

Id adstruunt Collectiones Canonum, quae Codices Burchardi & Ivois Saeculo XI. compilatos antecedunt, de quibus nos

Lib. 1. Tit. 2. c. 10. egimus: in quibus ordo ille Processus, aliaque Juris Civilis solemnitates, in praesentem librum postea adoptatae, desiderantur. Et confirmant exempla utriusque Ecclesiae, a Thomasi-no de Nov. & Vet. Eccl. discipl. p. 2. lib. 3. a cap. 101. lato calamo adducta.

49. Post Saeculum X. sensim formalitates & subtilitates forenses Tribunalia Ecclesiastica subintrare ceperunt.

Studium Legum Civilium, quod Saeculo XI. in Italia florere cepit, publicaeque Juris Justinianae praesertiones, tum in Occidentem introductae, quibus non tantum Laici, verum etiam Clerici delectari ceperunt, (id quod praeter Collectionem Ivois Carotenis, in qua multa ex Libris Juris Civilis, tum Pandectis, tum Codice, tum Novellis, ac Institutionibus ejusdem Imperatoris congesta sunt, probat etiam Decretum Gratiani Saeculo XII. in Scholis invalescens) causa fuit una hujus mutationis; altera vero, quod pene soli Clerici, sive Ecclesiastici illa tempestate studio Legum se consecrarent: ut inter Nobiles & Saeculares vix reperirentur, qui vel mediocri Juris scientia pollerent; adeo quidem, ut Clerici dicerentur omnes generatim Viri literati & docti: ut notat du Cange in Glossario mediae & infimae Latinitatis, Verbo *Clerici*. Porro Clerici, studio Legum inbuti, sola scientia non contenti, eam in praxim deducere volebant: quapropter Legibus ipsis, earumque formulis in Judiciis illi ceperunt, atque ex earum praescripto Causas decidere. Et quidem tanta velocitate Judicia Ecclesiastica Leges Justinianae Civiles occuparunt, ut sub initium Saeculi XII. ad Eugenium II. Papam scribat S. Bernardus lib. 1. de Consideratione, cap. 4. in ejus Curia perstrere Leges Justinianae, ipsalque in lites & cavillationes degenerasse. Et quidem quotidie, ait, perstrunt in Palatio Leges, sed Justiniani, non Domini. *Justine etiam istud? Tu videris. Nam certe Lex Domini immaculata convertens animas. Haec autem*

tem non tam Leges, quam lites sunt, & cavillationes subvertentes iudicium.

50. Cum itaque studium Legum inter ipsos Clericos invaluisse, & Causa ad eorum præscriptum decidi passim consuevisset; ipsi quoque Pontifices, ac nominatim Alexander III. & Innocentius III. Sæculo XII. & XIII. eorumque Successores in suis responsis Legum autoritate uti, & modum causas inlituendi, & decidendi ad normam Legum Civilium præscribere cœperunt. Ordoque modernus Processuum Ecclesiasticorum Sæculo XIII. stabilitus est.

Prima pars patet ex horum Pontificum responsis, relatis præsentis libro, itemque posterioribus Titulus libri primi: quæ nihil pene continent, nisi modum & formam Causas instruendi, & decidendi; quæque tum in Litigantibus, tum à Judicibus in Causarum instructione, & decisione observari debeant. Et quomodo stylus forensis jam tum sub initium Sæculi XIII. Tribunalia Ecclesiastica occupasset, probat Decretum Concilii Lateranensis sub Innoc. III. in cap. 11. de Probationibus ubi statuit: *Ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario Iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) Personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, &c.*

Quantum ad 2. p. hunc ordinem stabilivit Gregorius IX. dum A. 1230. suis Decretalibus, in quorum libro II. ille præscribitur, in *Judiciis* & Scholis uti præcepit per Bullam ipsdem Decretalibus præfixam.

51. Ordo judicialis, hoc libro præscriptus, in Sæcularibus successively pariter obtinuit Tribunalibus Christianorum.

Cum enim circa illa tempora Judices publici passim essent Viri nobiles, & militares, exigua, aut nulla Scientia Juris instructi, qui nec per se iudicabant; solebant & hi in Causis instruendis, & deci-

dis assumere Clericos Legum Scientia instructos, ipsisque peritumque plenam Judiciorum directionem concedere. Hi vero formulas, quas ad præscriptum Legum in suis Decretalibus præscriperant Pontifices, in hæc Tribunalia introduxerunt: uti notat Claudius Fleurus p. 3. Instit. Juris Can. c. 4. qui ibidem recte monet, omnem hodiernam litigandi formam, in Curis Sæcularibus usitatum, provenire à Canonistis; ideoque si quis eam exacte cognoscere velit; ejus originem ex Decretalibus haurire debeat.

52. Si spiritum Ecclesie, quem à suo Fundatore J. C. hausit, & hucusque conservat, consideremus, illa semper maluit, & hucusque mavult causas filiorum suorum summarie, & absque forensi strepitu terminari; si vero conditiones temporum, hominumque in iis viventium spectemus, recte ab illa tandem ordo Judiciorum hoc Libro præscriptus, introductus est.

Prima pars patet ex N. 18. & seqq. h. T. atque ex moderna praxi Ecclesie, quæ Judicia summaria, & per modum arbitrarie menti non irritat, sed laudat.

Secunda vero ex obvis Constitutionibus Romanorum Pontificum, quibus se fraudibus malevolorum hominum obviare, scelerisque repagulum figere testantur. Et certe Judices lites multas sopire, aut saltem multum abbreviare possent, Litigantesque concertationibus, & molestiis forensibus eximere, si formam Judiciorum in Decretalibus præscriptam exacte observarent.

§. VII.

De Appellationibus.

53. **P**rimis Ecclesie Sæculis raræ admodum & iniustitæ erant appellationes à sententiis Episcoporum.

Causa fuit, quod tum Clericorum Causæ ab Episcopis componerentur per modum amicitabilis arbitramenti (N. 46. h. T.); tum quod provocandi libertas in mul-

multis Causis, præsertim Civilibus, adempta erat (N. 19. h. T.); tum quod Episcoporum sententias, etiam Excommunicationis in Clericos & Laicos latas, volebant pristini Patres ab omnibus inviolabiliter observari, atque ab Episcopo suo excommunicatum ab omnibus ubique Episcopis pro excommunicato haberi, & tractari volebant, juxta regulam à Synodo Nicæna Can. 5. renovatam.

54. Illis tamen Sæculis permittum fuit à gravamine Sententiæ Episcopalis appellare.

Postquam enim Synodus Nicæna relato Can. 5. firmam voluit esse Excommunicationis ab Episcopis late sententiam, subdit: *Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videantur à Congregatione seclufi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis, discutiuntur hujusmodi quæstiones. Poterant igitur Episcoporum vitio gravati ad Synodum Provinciale appellare.*

55. Ipsdem Sæculis damnatus ab Episcopo poterat ad Concilium Provinciæ provocare, & inde ad Synodum Nationalem Exarchi vel Patriarchæ; ab his vero damnatus Causam ad Concilium generale deferre.

Prima pars constat ex Canone 5. Concilii Nicæni mox relato. Cui Sæculo VI. concinit Concilium Aurelianense III. Can. 19. *Si quis Clericorum circa se, aut distractionem, aut tractationem Episcopi sui putat injustam, juxta antiquas Constitutiones recurvat ad Synodum.*

Secunda innuitur Can. 6. Concilii Constantinopolitani I. An. 381. in quo Causæ Episcoporum ad Synodum Provinciale, ceu ad primam instantiam, deinde ad majorem Synodum Diocesanos, seu Exarchalem & Patriarchalem deferri jubentur. Verba Canonis sunt: *Sed si nonnulli*

nec heretici, nec excommunicati fuerint, nec prius damnati, dicant autem se habere aliquos adversus Episcopum criminationes; eos jubet S. Synodus primum quidem apud Provinciale Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare criminam Episcopi, qui aliarum rerum accusatur. Quod si evenit, ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint: tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diocesis illorum Episcoporum, pro hac causa convocatorum. — Si quis autem iis, quæ, ut prius declaratum est, decreta fuerint, contemptis ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia afficere, vel Sæcularium Principum Judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Diocesis Episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, & Ecclesiasticum Ordinem perverterit. Hic Canon conformis est Canonis 12. Antiochenæ Synodi A. 341. celebratæ, in quo sancitur: *Si quis à proprio Episcopo depositus Presbyter, vel Diaconus, vel Episcopus à Synodo ausus fuerit Imperatoris auribus molestiam exhibere, cum oporteat ad majorem Synodum converti, & jus, quod se habere putat, ad plures Episcopos referre, eorumque examinationem & iudicium suscipere; qui itaque, his contemptis, Imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus, neque sui defendendi locum habeat, nec restitutionis futuræ spem expectet. Quibus aperte edicitur, ut Causæ Cleri inferioris apud Synodum Provinciale, tanquam in prima instantia, iudicentur, atque excluso laico iudicio ac appellatione, in Causis præsertim Personalibus, ac Religionem concernentibus, appellatio gradatim fiat respective, vel ad Concilium Provinciale, vel Nationale, aut demum Patriarchale. Ut acutus expendentis Canonem Const. patebit. Et certe libelli, qui in Concilio Chalcedonenfi à Theodoro Diacono, & Athanasio Presbytero, quos*

Diofcorus Archiepiscopus Alexandrinus injuste gradu dejecerat (Act. 3.), fuerunt oblato & perlecti, aperte demonstrant, Causas non tantum Episcoporum, sed etiam Presbyterorum & Diaconorum ad Concilium usque Œcumenicum perlatas fuisse, inquit Thomass. Parte 2. lib. 1. c. 15. N. 25.

Ex quibus eruitur tertia pars. Circa Canonem tamen Constantinopolitanum vide dicenda infra.

56. Jus appellandi à Judiciis Papa inferiorum ad Sedem Apostolicam Divino ejus Primatus annexum primis illis Sæculis agnitum fuit.

Dixi notanter Papa inferiorum, ut evitem questionem Gallos inter & Romanos tantopere agitatam, an Romanus Pontifex sit supra Concilium, vel è contra? cujus Jus appellandi ab uno ad alterum corollarium & appendix est, quamque hic discutere non est locus. Id itaque ex Canonibus Concilii Sardicensis certum est, Sententiam, ad Judicium Episcoporum Provincie, seu Synodi Provincialis circa Causas Episcoporum renovandum sit, necne? item an renovationem hujus Judicii per vicinos illius Provincie Episcopos vel per missos à latere suo Legatos cum dictis Episcopis fieri velit, necne? à Patribus illius Concilii Romano Pontifici esse delatam. Sic enim habet Canon III. Quod si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua Causa, & putat se Causam bonam habere, ut iterum Concilium (Græca verbo Herveti habet Judicium) renovetur: si vobis placet, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui Causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaveris renovandum esse Judicium, renovetur, & det Judices (Græca Herveti: Et per propinquas Provincie Episcopos, si opus sit, Judicium renovetur, & Cognitores ipse præbeat); si autem probaverit talem Causam esse, ut non rescindatur ea, qua acta sunt, que decreverit, confirmata erunt, (Græca) Si

autem probare non potest, Causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit, que semel sunt judicata non infirmantur, sed rata sit lata sententia. Clara hæc omnia exprimit ejusdem Concilii Canon VII. apud Græcos V. Sic autem sonat juxta versionem Dionysii: *Ofus Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverit congregati Episcopi Regionis ipsius, & de Gradu suo eum dejecerint, si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesie (Græca habet, & veluti appellans confugerit: Codex Africanus, & appellasse videatur) & voluerit se audiri: si justam putaverit, ut renovetur Judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant: quod si is, qui rogat suam causam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum (Græca, Presbyteros) mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet; & si decreverit mittendos esse, qui præsentem cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt, placuerunt. Veram non esse appellationem ad Episcopum Romanum his Canonibus expressam, sed tantum revisionem Sententiæ, nec veram confirmationem Judicii Synodi Provincialis, sed tantum facultatem judicandi, num novum judicium institui debeat, quo prius rescindi possit, autumat Epienus tract. Hist. Canonico in omnes Canones Conciliorum P. 3. §. 5. Qui etiam ibi vult, Romanum Pontificem vi horum Canonum non potuisse Judicium Romæ renovare, sed tantum Judices dare in Partibus. Sed primæ duæ opiniones Authoris clarissimè inni-*

nituntur solis vocalis in græca versione existentibus, videlicet, Tò veluti appellans, & Tò que semel sunt judicata, non infirmantur, sed rata sit lata sententia: qui merito prædixi debet interpretatio, Dionysii sic dicta; non quasi ille hos Canones in latinum verterit, cum eodem teste latine sint editi (Lib. 1. Tit. 2. N. 120.); sed quia incertum est, utrum ejus, aut Ilidorii lectio primigenia sit. In ea autem appellatio sine restrictione exhibetur, & insuper dicitur: *Quæ Romanus Pontifex decreverit, confirmata erunt.* Quamvis ad tertium vero, quiddam circa notorem horum Canonum, certum est, Romanum Pontificem vi sui Primatus jam tum potuisse Sententias Synodales non tantum per Judices datos in Partibus, sed etiam per se Romæ vel confirmare, vel rescindere. Quod & illo IV. Sæculo factum legimus à Julio I. in Causa Athanasii, & ab Innocentio I. in Causa S. Joannis Chryostomi, ut habet ejus vita in Breviario ad 27. Januarii. Accedit, quod Canon IV. ejusdem Concilii non tantum deferat sententiam, utrum Judicium sit renovandum vel non? id quod præterit Epienus; sed etiam discutendi sententiam à Judicibus datam, & de ea judicandi, si Episcopus depositus ab ea denuo provocaverit: id quod tum ex ejus tenore, tum ex Balsamonis, & Zonaræ sequens est: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum Judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi Causa fuerit in Judicio Episcopi Romani determinata.* Interpretatio vero Balsamonis, & Zonaræ hæc: *Cum dixissent Patres Provincialium Sententiam appellationis subjecti, & à propinquis Episcopis jussu Pape examinari; non dicunt quid fieri debeat, si is, qui appellavit, con-*

demnatus fuerit, & se rursus gravari dicat. Statutum ergo, ut res in integro maneat, & in ejus, qui est condemnatus, Ecclesia alius non eligatur, nisi secunda appellatio à Papa examinata fuerit.

57. Jus appellandi à Judiciis Synodorum Provincialium, vel etiam Nationalium in Causis Episcoporum ad Romanam Sedem, eadem non est concessum à Concilio Sardicensi, sed agnitum.

Est enim, ut N. præced. insinuavimus appendix Primatus S. Petro, & ejus Successoribus à Christo collati. Si enim Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium, Supremumque in Ecclesia Judicem, omnibus Episcopis divisim sumptis, juxta sententiam Gallorum, & Concilii etiam Provincialibus ac Nationalibus majorem summam; necessario sequitur, ab horum omnium sententiis ad illum appellari posse, quod Juris naturalis æquitas exposulet, ab inferiorum Judicium sententiis ad Supremum appellari posse. Præterea, Pontifex Romanus ratione Primatus tenetur invigilare executioni Canonum, eorumque observantiam urgere ac promovere: quo munere fungi non potest, nisi infractores ipsorum plectere possit. Si igitur violati fuerint Canones in Episcoporum depositione, ipsi ad Romanum Pontificem provocare possunt, ut in irritum mittat sententiam iniquorum, ut eorum, qui injuriam passi sunt, jura resarciat; ut eos, qui contra Canones peccarunt, inflictiis etiam penis canonicis, ad eorundem compellet observantiam; & executionem. Jus itaque suscipiendi appellationes Episcoporum dejectorum, & eas judicandi, Romano Pontifici conveniens, appendix est Primatus S. Petro, & ejus Successoribus collati. Et hoc Jus Romanæ Sedi competere juxta Sæculi III. disciplinam agnovit S. Cyprianus ep. 67. ad Stephanum Romanum Pontificem, in qua de Marciano Episcopo, jam ab universis Episcopis in Persona Novatiani prædamato, scribit, ut eum ex Episcopatu deponat, aliumque in locum ejus

substitui jubeat Antilitium. Quapropter, inquit, facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutas, ne ultra Marcianum pervicacem, & superbum — Collegio nostro insultare pantantur, quod necum videatur à nobis absentibus — . Et infra: Dirigantur in Provinciam, & ad Plebem Ayclate consentem à te literæ, quibus, absente Marciano, alius in locum ejus substituatur, & Grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur. Unde vides, quod S. Cyprianus Marciani Causam à Synodo Provincie judicari non postulet; quod tamen postulasset, si supremam Conciliorum Provincialium in judicandis Episcoporum Causis agnovisset auctoritatem: sed ad Romanum Pontificem scribit, ab eoque deponi optat Novatianum Episcopum. Non ignoro epistolam Romanorum Pontificum, à Clemente, usque ad Siricium, Appellationes non tantum Episcoporum, sed etiam inferiorum Clericorum; & quidem non ordine, sed etiam per saltum Romanæ Sedi ab ipsis Ecclesiæ incunabulis vindicare, quarum fragmenta bene multa refert Gratianus Causa 2. q. 6. Sed cujus auctoritatis sint hæc epistolæ Lib. 1. Tit. 2. à N. 155. demonstravimus. Quapropter à quaestionibus Juris semel pro semper præcindendo, & quid in usu prioribus V. sæculis circa Appellationes ad Romanam Sedem fuerit, quidve impostem mutatum fuerit, secundum historię leges solum exponendo:

58. Juxta consuetudinem Ecclesiæ priorum V. sæculorum, & Canones in ea editos, quamvis Episcopi & à Synodis Provincialibus, & Diocesanis, atque etiam Patriarchalibus ad Romanam Sedem appellare poterint, id, quod ex Canonibus Sardicenfibus (N. 55. h. T.) consecraturum est, atque ex aliis horum sæculorum documentis evinci potest; inferiorum tamen Clericorum ultima instantia usu ad minus videatur fuisse mox enumerata Concilia.

Galli posteriori propositionis partem,

etiam Canonibus, sancitam fuisse contendunt; quin eandem etiam ad Episcopos extendit Petrus de Marca, & alii, explicantes Canones Sardicenses non de appellatione, sed de nuda revisione sententiarum conciliaris: contra quos dum totis viribus insurgit Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica sæculi IV. Dissert. 28. quæ lectu digna est; Canonis Nicæni ordine V. item Antiocheni 12. aliarumque auctoritatum, præsertim Africanarum œconomiam ita temperat, ut intelligendas de ultima instantia in Causis inferioris Cleri equidem concedat; non æque in causis Episcoporum, præsertim Depositionis. Et ita explicat ep. 55. Cypriani ad Cornelium sæculo III. scriptam, in qua irascitur adversus Cornelium Rom. Pontificem, quod quosdam Clericos, & quemdam Pseudo-Episcopum Hæreticorum (qui tamen non erat legitimus Episcopus) ex sententia Concilii sui à communione rejeçtos, vix non in communionem suam admisisset; atque præterdere videtur, eorum ultimum judicium jam fuisse peractum, dum ait: *Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut unuscujusque Causa illic audiatur, ubi est crimen admittum, & singulis Pastoribus portio Gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcurrere — nisi si paucis desuperatis, & perditis minor videret esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum —: jam causa eorum cognita est: jam de eis dicta sententia est —: si judicium iterum voluerint experiri, veniant. Item Canonem XXII. Concilii Milevitani, in quo Patribus Africanis placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in Causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu suo-*

rum

rum Episcoporum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Cujus Canonis hanc clausulam, Sicut de Episcopis sæpe constitutum est, irrepitum esse, nulliusque Concilii Africani Canonem, & primam Dignitatem, idque his epistolæ verbis significari volunt: Ne in sua Provincia communionem suspensi à tua Sanctitate, vel festinato, vel præpropere, vel indebite videantur communi restitui. Hæc enim verba non posse trahi ad modum Appellationum ex determinatione subsequentionum contendit. Sic autem pergunt Patres: Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est, repellat Sanctitas Tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africæ, & Decreta Nicæna sive inferioris Ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos Metropolitanis suis apertissime commiserunt; prudentissime enim justissimeque providerunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda — maxime, &c. ut supra. Qui locus, junctus aliis jam relatis, cum ipso teste in Scholio 3. ad hanc propositionem Romæ notatam induxerit Petrus de Marca, Baluzium, & tertium Sorbonæ Doctorem, ut sibi persuaderent, Appellationes etiam Episcoporum ad Romanam Sedem tunc in usu non fuisse, nec sequenti quidem sæculo, nisi in Causis Fidei ex Ecclesiæ Africane disciplina, & moribus; sed supremam fuisse Conciliorum Diocesanoarum in judicandis tam Presbyterorum, quam Episcoporum in illis auctoritatem; ab illis, quoad Episcoporum Judicia, se dissentire profiteretur. Id quod etiam probat in repositione prima ad dictam nonam objectionem, ex Causa Apianæ Presbyteri desumptam, in qua ait, Ecclesiæ Africanam Appellationes ad Romanum Pontificem aliquamdiu impugnasse, errore facti deceptam; nimirum, quod Zozimus Papa in Communionario, Legatis suis ad Concilium Carthagenense VI. directis

Ecc 2

dato,

dato, jus illud adtruxerit ex Canonibus Nicanens, quos tamen Patres Africani inter illos non reperere; cum revera fuerint Sardicenses supra relati (Lib. 1. Tit. 2. N. 111.), sed statim jus illud circa Episcopos agnovisse, cum in aprico sit, illum sub ipso Cælestini I. Pontificatu Appellationem Antonii Fussalensis Episcopi ad Romanam Sedem detulisse. Quod solide, & ad longum ibi probat gravissimus Author ex ep. 261. S. Augustini ad illum Pontificem data. Non tum ego is, qui horum gravissimorum Virorum disidia arbitre componam. Agnosco, & profunde revereor Jura omnia Divino Primatu Sedis Apostolicæ annexa; id quod mihi ex omnibus Canonibus hoc numero allatis apparet, est, primis illis quinque Sæculis Clericorum inferiorum Causas in laudatis respectu Concilii terminari communiter solitas, & quidem statuto per illos ordine, non per saltum.

59. Appellationum in causis Episcoporum ad Romanam Pontificem non tantum in materia fidei, sed etiam morum, in utraque Ecclesia frequens jam fuit usus post Concilium Sardicense. Et consequenter ejus initia à Viris quibusdam eruditissimis perperam detruduntur in Ecclesia Græca ad Concilium Trullanum tempora, vel ad VIII. Sæculum in Latina.

Primum partem probat laudatus Natalis Alexander dissent. cit. luculentis similibus Appellationum exemplis; & primo Eustathii Sebastei Episcopi, qui cum in Concilio Militinensi Arianorum Sæculo IV. fuisset depositus, ad Romanam Pontificem Liberium appellavit, ejusque sententia Sedi Sæe restituta est, teste S. Basilio ep. 74. Secundo exemplo S. Chrysostomi supra allato. Tertio exemplo Eutichetis Presbyteri à sententia Flaviani in Constantinopolitana Synodo in ipsum lata ad S. Leonem Papam. IV. exemplo S. Flaviani Patriarchæ Const. appellantis ad eundem S. Leonem de sententia in se lata ab Episcopis Latrocinii Ephesini. Cujus Appellationis

locupletissimus tellis est S. Leo ep. 25. ad Theodosium Imperatorem data. His appellationibus jungit continua serie appellationem Cælestini Carthagenensis Episcopi, Cælestini in Synodo Carthagenensi An. 412. damnati, item Chelidonii Provincia Viennensis Episcopi; quas omnes operosa, ac longa disputatione probat & veras fuisse appellationes, & non solum in Causa Fidei, sed & morum. Confirmat deinceps argumentum ab exemplis sumptum ex Novella Valentiniani III. Augusti cum S. Leonis ep. Sæculo V. missa in Gallias ad Aetium Comitem, & utriusque Militiæ Magistrum: in qua sententiam à S. Leone in Causa Chelidonii, & Hilarii latam per Gallias etiam sine Imperiali Sanditione validiorum testatur; & sancit in executionem Canonem, ut quisquis Episcoporum ad Judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorum ejusdem Provinciæ adesse cogatur. Item ex ep. Vigilii Papæ ad Eleutherium An. 450. data, apud Gratianum Causa 2. q. 6. Can. 12. in qua Judicia Appellationum Episcoporum Sedi Apostolicæ reservata esse docet, his verbis: *Quoniam Appellantium Sedem Apostolicam Episcoporum Judicia, eidem Sedi reservata esse liquet.* Colophonem deinde probationibus suis subiuciendo, asserit appellationem contumeliosi Episcopi Rejenis ad Joannem II. Saloniæ Episcopi Ebrodunensis, & Saggiarii Vapicensis ad Joannem III. & ex gestis Gregorii M. in Causa Adriani Episcopi Thebani Lib. 2. ep. 6. item in Causis Januarii Episcopi Malacitani, & Stephani Episcopi lib. 11. ep. 52.

Secunda pars ex allatis in priori tum exemplis, tum testimonio aperte evincitur, utpote quæ priora sunt Anno 681. quo celebrata est Synodus Trullana, Sæculoque VIII. Sed ut asseri veritas magis eluceat, Adversariorum asseruntium Canones Sardicenses in Oriente non viguisse usque ad Concilium Trullanum, in Occidente vero usque ad Sæculum VIII. adeoque

que nec usum Appellationum Episcoporum in materia morum ibidem agnitum, argumenta famosiore ex eodem Authore compendio sunt solvenda. I. itaque pro Ecclesia Græca adducunt Can. 2. Concilii Constantinopolitani I., qui primum Judicium confert Synodis Provincialibus, Appellationem Diocesanas. Cui adjungunt Canonem 6. ejusdem Concilii à nobis supra relatum, ex quibus deducunt, Canones Sardicenses Sæculo IV. supremis in Oriente non fuisse receptos. At respondetur ad 2. Canonem, illum supremam fuisse Conciliorum Diocesanicorum auctoritatem non probare; sed suos tantum singulis Patriarchis, & Exarchis limites præscribere: nullos vero Episcopo Romano. Idem facere videtur Can. 6. cujus sensum supra delibavimus. Accedit, quod Canones Constantinopolitani multorum spatio sæculorum ab Ecclesia Romana probati haud fuerint, ut constat ex ep. 53. S. Leonis ad Anatolium data, & ex S. Gregorio lib. 6. ep. 3. & posteriores IV. Viris eruditissimis suppositi.

II. Pro eadem Ecclesia Græca adducunt Canonem 9. & 17. Concilii Chalcedonensis, quorum primus hunc Judiciorum ordinem statuit: Si quis Clericus adversus Clericum habet negotium non deserat proprium Episcopum, & ad Sæcularia percurrat Judicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem Episcopi, apud quos utraque Partes voluerit, Judicium obtinebunt: — quod si Clericus habet Causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diocesanos, aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur. Idem quoad posteriora habet Canon 17. Idque confirmat ex Nov. 123. Justiniani cap. 22. ex usque inferunt, Canones Sardicenses Sæculo V. & VI. in

Oriente non fuisse receptos. At respondetur, hos Canones loqui de prima Causarum cognitione, non vero de ultima. Uno verbo: decernunt, quinam sint Judices harum Causarum; sed ipsos esse Supremos Judices, ne leviter quidem innuunt. Novella autem Justiniani prohibet solum Appellationem ad Judicium Patriarcharum in Causis profanis Episcoporum, non vero in Causis mere Ecclesiasticis; cum ipse Imperator in Romano Pontifice agnovit auctoritatem judicandi Causas Orientalium Episcoporum, & ipsorum Patriarcharum. Id quod manifeste evincit idem præclarissimus Author ex iis, quæ, Justiniano præsentate, & probante, ab Agapeto Papa gesta sunt contra Anthimum, Sedis Const. invasorem, ex libello, quem exhibet Actio prima Concilii Const. sub Menna, & ex Actione IV. Accedit, quod ex Justiniani Constitutionibus colligit non possit, quænam fuerit Ecclesiæ disciplina: quia nulla fuit earum auctoritas, nisi quatenus cum Sacris Canonibus consentiebant, ut constat ex ep. 1. Agapeti Pontificis ad illum Imperatorem data, in qua de ipsis fidei libello hæc habet, quæ de ipsius Legibus procul dubio dixisset: *Laudamus, amplectimur, non quia Laicis auctoritatem predicationis admittimus, sed quia studium fidei vestre Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.* Residua tria argumenta pro Ecclesia Græca videantur apud Nat. Alex. i. citato.

Quod vero hi Canones Sæculo V. non vigerent in Ecclesia Latina, probare conantur I. ex depositione Maximi, Episcopi Const. in secunda Synodo Const. referreturque in Ep. Synodica Concilii Italiae ad Theodosium. Sed præterquam quod hæc S. Ambrosii, aliorumque Episcoporum Italiae ad Theodosium Imp. ep. Viris perisque eruditissimis supposita non immerito videantur, & probetur à Natali; ex illa ad summum eruitur, Occidentales Episcopos paratos fuisse cum Summo Pontifice ad aliquid

quod remittendum de Juribus Ecclesie Romanæ, quærendo una cum Orientalibus media restituendæ pacis: cæterum Sedem Apostolicam jure potuisse suscipere cognitionem Cause Maxiani, & de ea ferre Judicium, absque Concilio Generali, & Orientalium concursu, ex ipsa ep. objecta demonstrat sæpe laudatus Natalis.

Secundo ex Rescripto Gratiani Imperatoris juxta postulata Synodi Romanæ A. 378. ex S. Ambrosio, & omnibus Italie Episcopis congregatæ edito, in quo cum alia Judiciorum, & Appellationum forma ab ea, quæ Canonibus Sardicenis san- cta fuit, præscribatur; manifesto sequitur, Sæculo IV. eos in usum deductos necdum fuisse. Respondet vero Natalis Alexander, hanc Gratiani Constitutionem singulares quasdam Episcoporum Causas solummodo spectare, nimirum eorum, qui Schismati Uricini pertinaciter adharebant, & aliter compelli, ac Ecclesie præsertim in Italia pax, nisi hac singulari œconomia, reddi nequibat; & consequenter intentum non probare. Id quod luculenter probat ibidem in solutione objectionis sextæ.

III. Ex Ep. Siricii ad Anysum Thessalonicensem, & cæteros Illyrici Episcopos à Concilio Capuensi ad cognoscendum de errore Bonosi Hæretici deputatos, in qua, juxta illorum, præsertim vero Joannis Launoji, qui magna pompa hoc argumentum offentat, interpretationem Siricii Sæculo IV. agnoscit, se non posse judicare de Causa, quam Synodus Provincialis selectis Episcopis judicandam demandavit. Sed quam insulsa sit hæc interpretatio, quam vana Launoji jactatio, monstrat idem doctissimus Nat. Alex. primo ex ipso tenore Epistolæ: vi cujus Siricius non scripsit potestatem ferendi in Bonosi Causa Judicii sibi non convenire; sed conveniens non esse Dignitati suæ Sedis, ut Cause illius cognitionem susciperet, postquam à Concilio Capuano delegati essent Judices Episcopi, nimirum Illyrici: inmens simul ul-

tiam cognitionem se susceperunt, confirmando illorum sententiam, & Bonosi Appellationem, si forte ad Sedem Apostolicam provocaverit, judicando. Id unum enim significant hæc verba: Nam si integra hodie esset Synodus (Capuana), recte de iis, quæ comprehenditis vestrorum scriptorum series, decerneremus. — Ideo primum est, ut *id judicent, quibus judicandi facultas est data (delegata)*. Vos enim totius Synodi vice decernitis: nos quasi ex auctoritate Synodi (delegata) judicare non convenit. Qui ergo exitimavit se de Synodo Capuana delegante posse judicare, non credit sibi facultatem esse de Episcoporum delegatorum Judicii sententiam ferre posse? Confirmat, atque in plenam meridiem adducit hunc allate Epistolam Nat. Alex. testimonio Ambrosii, & Innocentii I. Siricii Successoris. Argumentum ex Causa Apiarii Presbyteri, ab adversariis adductum, solum est numero præcedenti.

60. Circa Sæculum IX. Appellationes ad Romanam Sedem multiplicari cœperunt.

Illo enim Sæculo omnium calculo receptæ sunt Romanorum Pontificum à Clemente usque ad Siricum Epistolæ in Collectione Isidori Mercatoris ad Sæculi VIII. cantium proculsæ. Hæ vero Decretales, ut recte advertit Fleury P. 3. Infit. Juris Canonici c. 33. stabiliunt diversos gradus Jurisdictionis, Archiepiscoporum, Primate, & Patriarcharum, ad quos gradatim appellari potest; uti videri potest ex fragmentis illarum, relatis apud Gratianum Causa 2. q. 6. Præterea ipsidem Decretalibus asseritur auctoritas libere provocandi, à quibuscumque Judicibus, in quibuscumque Causis, & à quibuscumque Personis ad Romanum Pontificem: Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc Sanctam & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam, quasi ad caput, suffugium habeat, ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum

trimentum patiat. Inquit Pseudo-Sixtus Papa I. Causa 2. Can. 4. & Can. 8. Pseudo-Zepherinus: Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressoribus releverentur: quia non potest, nec debet Mater oblivisci filium suum.

61. Frequentia Appellationum ad Sedem Romanam non tantum ordine, sed etiam per saltum facta, nec tantum à Sententiis definitivis, sed & interlocutoriis; nec in majoribus dumtaxat Causis, sed etiam levioribus; quin & ipsa Causarum ad Curiam Romanam evocatio, quantum ad primam instantiam, Sæculo XII. adeo invaluerat, ut de ea plures Sanctissimos Viros graves deposuisse legamus.

S. Bernardus lib. 3. de Consideratione ad Eugenium Papam c. 2. Quantos, ait, novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licet? nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, v. g. incestum, adulterium. Quale est hoc turpitudini patrocinari, quod vel maxime à turpibus formidari oportebat? Quousque murmur universe terre aut dissimulas, aut non advertis? quousque dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusum? Præter Jus & fas, præter morem, & ordinem sunt. Non locus, non modus, non tempus, non Causa discernitur, aut Persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, namque his potissimum terri solebant? nunc terrori ipsi ex his magis sunt, atque id bonis. Antidotum verum in venenum: non mutatio dextere Excelsi hæc. Similiter ep. 178. ad Innocentium II. queritur Episcoporum auctoritatem contemni, ac minus, quod appellationes ab eorum Sententiis Romæ facilius reciperebant. Contra eun-

dem appellationum abusum, & Episcopalis auctoritatis depressionem, sub idem tempus ad Honorium II. scripsit Hildebertus Turonensis Archiepiscopus ep. 82. Quaslibet appellationes in Romana vigere, & suscipi Ecclesia cis Alpes auditum non est, nec ex Sacris traditum institutis. Quod si forte hujusmodi emerit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, Pontificalis Censura peribit, & omnino conteretur Ecclesiasticæ robur Disciplina. Quis enim raptor ad solam anathematis comminationem non statim appellabit? Quis Clericus, aut Presbyter frustratorie appellationis refugio non putabit, aut etiam sepeliatur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? ejus virgam, quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, veritatem emolliet, adducens & illi silentium, & reis impunitatem delictorum. — Dilatione nempe Censuræ facinora fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis impune delinquentes.

62. Iisdem Sæculis Metropolitanis, Primates, alique Superiores quascumque appellationes pariter recipiebant; quin laudentibus Sæculis eo devenitum fuit, ut non tantum à Sententiis Judicum, & actibus judicialibus appellatio admitteretur, sed à quibuscumque etiam extrajudicialibus decretis provisionalibus, tametsi ab Episcopis tempore Visitationis pro morum emendatione, & Ecclesiasticæ Disciplinae reformatione editis: idque non solum quoad effectum devolutum, sed & suspensum.

Id patet ex querelis, quas plures à Patribus Tridentinis contra hanc appellationum frequentiam, atque inde resultantem Ecclesiasticæ Disciplinae, & Judiciorum everisionem in Sacro Concilio deposuerunt. Eræ cæteris Joannes Gropperus in hunc appellationum abusum vehementius insurrexit, ostenditque labentibus Sæculis, Episcopos

copos non tantum sublatis Synodis, more Judicium Sæcularium, Forum & Officialia instituisse; sed & ad abusus longe majores, quam in Foro Sæculari, gradum non cunctanter fecisse. In Foro Sæculari, inquebat, provocationem non fieri, nisi ad Judicem immediate Superiorem; tantum abesse, ut fas sit, ad supremum primo saltu tendere: neque licere in articulis Cause provocare à decretis Judicis, quæ vocantur *interlocutoria*; sed Cause finem, & decreta litis decisoria necessario esse expectanda: at contra, in Judiciis Ecclesiasticis, & appellari in singulis actis Judicis, unde Causarum immensitas nascitur; & *immediate* ad Supremum, unde sequitur extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum malorum mole proficiendi necessitas. Hæc tamen non alium ob finem à se dicta protestabatur Gropperus, nisi ut huic abusui, qui omnem prorsus corrumpit disciplinam, remedium saltem apponeretur; & dum pro temporum conditione ad suam primam originem reduci in totum non potest, saltem appellationes in Foro Ecclesiastico ad Juris Civilis formam reducerentur.

63. Synodus Tridentina abusus appellationum, qui vere tales erant, per decreta numero plurima, variis in Ses-

sionibus edita, auferre, pro possibili conata est.

Sessione enim 24. cap. 20. de Reform. libertatem restrinxit, quom Jus Canonicum tribuebat appellandi ab omni Sententia interlocutoria C. 12. de Appellat. dum ad quemcumque Superiorem appellationes ab Ordinariis interpositas fieri vetuit, nisi à definitiva, vel à definitiva vim habente, & cum gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Formam vero appellationis in terminis Juris Canonici, juxta quos *gradatim* fieri debent appellationes C. 1. §. 1. de Appell. in 6. nisi appellatio fiat ad Summum Pontificem, quo casu fieri potest per saltum, *omissi mediis*, Cap. fin. de Foro compet. C. 7. & 54. de Appell., reliquit. Ceterum Sess. 32. cap. 1. de ref. item Sess. 24. C. 10. de Reform. appellationem in casu *correctionis* canonicæ quoad effectum suspensivum executionis ejusdem admitti vetuit: quæ tamen, juxta dispositionem Concilii Lateranensis C. 3. de Appell. admittitur à decretis in Visitatione Episcoporum, si judicialiter, & formato Processu Episcopus processit ad punitionem alicujus, quemadmodum resolvit Sacram Congregationem testatur Fagnanus ad Cap. 3. de Appell. mox citatum.

Libri II. ac Tomi I. Decretalium Finis.



